

05

A

1081





172

Disputatio Metaphysica
De Communica-
tione Proprii.

Quam

Divinâ assistente gratiâ
In Academiâ VVittebergenſi

PRÆSIDE

Viro Clarissimo, Dn.

M. MARTINO CASELIO

Facult. Phil. Adjuncto,

JACOBUS HACKMAN Otterndor-
ſio-Hadelenſis.

In Auditorio Collegii Veteris

Die 4. Mart. horis à 7. matutinis.

publico examini ſubijciet.

VVITTEBERGÆ,

Typis Ambroſij Rothi Acad. Typogr.

Anno M. DC XXVII.

lx

Bibliotheca Metaphysica
De Communica-



MARTINUS CASSELLIO

1801 A 50

JACOBUS HAKRMAN Oretndor-

fo. Habelenda.

In Auditorio Collegii Martini

Die 4. Martii horis 4. & 7. mensuris.

publico examine habuit.

WITTEBERG.
Typis Androsij Rothi Acad. Typogr.
Anno M. DC. XXVII.



17

Prooemium.



Ulemadmodum impugnata est à doctis pariter & indoctis, assertio illa de Antipodibus, idcirco quòd à ratione alienum esse existimabant; vivere homines ut Lactantius ait lib. 3. de fal. sap. c. 24. quorum vestigia sint superiora quàm capita, aut ibi quæ apud nos jacent, inversa pendere, fruges & arbores deorsum versus crescere. pluvias & nives & grandinem sursum versus cadere in terram. Quæ tamen omnia si rectè accipiantur & vera sunt & à Geographiæ peritis negari non possunt: Eodem ferè modo Calvinii applausores, qui aliàs semper rationem crepant, ejusq; Magistri audire amant, rationi contrarium putant: Propria communicari. In quâ re explicandâ mirificè sese torquent, adeo ut illa subtilis vexatq; Calvinianorum ratio hic potissimum hæreat. Ceterum ab ipsa ratione & totâ naturâ refutantur. Nam exinde tam manifesta est propriorum communicatio, ut eam pernegans non solum omnium rerum unionem arctissimam, sed & totius nature principia evertere ac destruere necessum habeat, ut monet Excell. Dn. L. Scharfius in Theoria Transcend. Exempla si placet inspicere per multa in promptu sunt, quæ banc sententiam firmant quasi clavis adamantinis: Quis enim negaret in ferro ignito uniri duas diversas essentias ferrum scilicet & ignem, & propria ignis communicari ferro? Eadem quoque est ratio inter ani-

A

mano

nam & corpus, quorum utrumq; habet peculiarem essen-
tiam, & tamen anima propria sua corpori communicat.
Id quod ad abundantiam usq; à Philosophis celeberrimis
accuratissime est demonstratum. Imprimis verò id fe-
licissime executi sunt hætenus Viri admodum Reverendi
& Excellentissimi, Dn. D. Jacobus Martini in Tractatu
de Communicatione Proprii, B. Meisnerus, Schröderus
& Scheiblerus, ex quorum scriptis hac vice quedam col-
ligere opera pretium putavi. Impugnata enim est ea as-
sertio nostrorum à multis, quorum rationes & argumen-
ta examinanda erunt. Et licet controversia hac intri-
cator sit, adeò ut non exiguam iudicii felicitatem requi-
rat, quam abs me abesse facile agnosco, tentandum tamen
aliquid existimavi. Sit itaque cum Bono Deo,

Thesis I.

VT feliciter in decidenda hac quaestione progrediamur præ-
libabimus 1. Proprium, quod communicandum 2. Sub-
jectum, cui communicari potest. 3. Communicationem ip-
sam, quænam & qualis illa esse debeat.

II.

1. Proprium græcis ἴδιον, ἰδιότης, & ἰδιώμα, aliquando
communi opponitur, & sic cum variis rebus complicatur, ut
quando dico: proprius finis, proprius effectus &c. Aliquando
opponitur figurato, quando nimirum verbum aliquod in na-
tivâ suâ significatione, non in aliquâ impropriâ adhibetur.
Specialiter autem sumitur pro adjuncto communi contradi-
stincto, & sic adjunctum proprium dici meretur.

III.

Et hoc modo vulgò juxta Porphyrium in Isagog. c. 4.
Proprium constituitur quadruplex 1. ὁ μόνῳ τινὶ εἶδει συμ-
βέβηκεν, εἰ καὶ μὴ παντὶ, id est, quod uni speciei convenit etsi
non

12

non omni ut v. g. *Esse Logicum convenit soli homini, sed non omni* 2. ὁ παντὶ συμβέβηκε τῷ εἶδει, εἰ καὶ μὴ μόνῳ, quod omni speciei convenit, sed non soli, ut v. g. *Esse bipedem competit omni homini, sed non soli, quia etiam avibus convenit* 3. ὁ μόνῳ καὶ παντὶ, εἰ καὶ μὴ αἰεὶ, quod soli & omni convenit, sed non semper, ut *canescere competit soli & omni homini, sed non semper, verum duntaxat in senectute* 4. ἐφ' ᾧ συνδέσθηκε καὶ τὸ μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ αἰεὶ. hoc est, In quo concurrunt & soli & semper & omni convenire, e. g. τὸ *risibile soli homini convenit, & omni & semper*. Aristoteli est ἰδικὸν καὶ αὐτὸν proprium per se lib. 1. Top. c. 4.

I.V.

Ceterum hæc divisio cordatioribus Philosophis per omnia non arridet. Hinc triplex proprium faciunt, 1. *πρὸς ἑτερον*, ad aliud seu proprium respectivum, quod saltem in respectu ad aliud proprium est: *Sic bipedem esse, est hominis proprium in respectu ad quadrupedes, quamvis id cum avibus commune habeat*. 2. Proprium *ποτὲ*, seu aliquando, quod quidem omni & soli speciei convenit, sed saltem aliquando. *Sic risus est proprium hominis, sed ποτὲ; homo enim non semper ridet*. 3. coincidit cum proprio quarti modi paulò ante dicti, diciturque proprium *ἀπὸ λῶς καὶ αἰεὶ*, simpliciter & semper, quod uni soli speciei per se & semper convenit. Metaphysicis est *essentiale* consequens quod essentiam rei consequatur, & cum re, cui inest recipitur. *Sic proprium seu essenziale consequens leonis est rugitus, latratus canis &c.* & illud ipsum hoc loco nos intendimus.

V.

ii. Subjectum communicationis quod attinet, non sumitur hoc loco pro objecto sed pro omni eo cui proprietas convenire potest. Estque vel realiter vel ratione distinctum; de posteriori nobis cum adversariis non est, Concedunt enim illi communicationem de ijs, quæ ratione saltem distinguuntur. Quæritur ergò de subjectis realiter distinctis.

VI.

Talia autem subjecta realiter distincta in duplici sunt differ-



rentiã secundum Philosophos: Alia sunt ἀσυνδύαστα separata
& disjuncta: Alia sunt συνδεδυασμένα unita & conjuncta.
Nos hoc loco priora removemus, posteriora tanquam huc
cum primis pertinentia retinemus.

V II.

Hinc pro diversitate subjecti varij communicationis modi
emergunt & quidem 1. communicatio κτ̄ μέθεξις, cujus-
modi est inter genus & speciem, quia enim genus essentiam &
definitionem communicat speciei, communicat quoq; pro-
pria, cum; quicquid generi competit tanquam πρῶτω
ὑποκειμένω, idem quoque per communicationem & δὲ τέ-
ρας speciei competit ratione generis, & quod prædicatur de
specie ratione participationis de Individuo dici possit. Sic
verbi gratia per κοινωσίαν κτ̄ μέθεξις Arles, Plato, Socrates
participes sunt ejusdem nominis naturæ & definitionis, quod
sint homines, animalia, Philosophi vid. D. Jac. Mart. de com-
municatione Proprij c. 5.

2. Communicatio κτ̄ συνουδοχίαν, qua proprium par-
tis toti communicatur & de toto prædicatur, v g. quando ho-
minem dicimus luscum, ibi luscitia unico hominis membro, oculo
scilicet inest πρῶτως, & tamen toti homini tribuitur.

3. Communicatio κτ̄ σύγχυσις, quando duo vel plura invi-
cem miscentur & confunduntur, & quod alterutrius ex mixtis
πρῶτως inest, δὲ τέρας toti competit, seu tertio, quod ex illa-
rum confusione & permixtione emergit, ut in Hydromelite de
quã re vid. Schröd. Th. 46. & seqq. Et hi tres modi huc non
quadrant Meisn. p. 1. Phil. Sob. quest. 2.

V III.

Prout autem dictum est, esse subjecta & ἀσυνδύαστα, disjuncta,
& συνδεδυασμένα, conjuncta, ita ratione subjectorum
ἀσυνδύαστων tres communicationis resultant species.

1. Κατὰ μετέμβασιν, secundum transgressionem, quando
id quod communicatur suo egreditur subjecto, & in alienum,
cui communicatur transit.

2. Κατ' ἀλλοποιώσιν, secundum similis rei vel qualitatis
pro-

174
productionem, cum non communicantis propriam tribuitur, sed illius simile in altero producitur.

3. κατὰ χρῆσιν, secundum usum, quando id quod unius est proprium quoad κτήσιν, alteri communicatur quoad χρῆσιν vide de his speciebus B. Meiss part. 1. Phil. sob. Sect. 1. quest. 2. Schröd, in tract. de Comm. Prop. lib. 52, 53. & seqq.

IX.

Ratione verò subjectorum συδεδυασμένων conjunctorum, unica datur communicationis species, nimirum κοινωνία καὶ συνδυασίη ἢ καὶ ἕνωσις, communicatio secundum consociationem & unionem. Illa jam à Schrödero definitur, quòd sit, quâ propter unionem id quod unius est proprium, sine sui vel multiplicatione vel transfusione subjecto alteri ad communem possessionem, usurpationem & demonstrationem realiter confertur *ibid.* 62. & hæc communicatio propriè hoc loco intelligitur.

X.

His jam præsuppositis quæstionis nostræ statum controversiæ ritè formare possumus. Dicimus ergò hoc loco non quæri: An propria κατὰ μετέκτασιν transfundantur de subjecto suo in aliud? Nec, an κατὰ ἀλλοποιώσιν communicari possint, ita ut multiplicentur? Verùm id quæritur: An proprium seu essentiæ consequens unius rei alteri subjecto realiter distincto, sed tamen unito ad communem possessionem & usurpationem communicari possit?

XI.

Nos affirmativam nostram facimus: Calviniani negativam omnibus viribus defendere conantur, procul dubio eum in finem, ut magis specioso titulo communicationem idiomatum divinorum humanæ Christi naturæ factam esse inficiari queant. Inprimis autem Keckermannus lib. 2. Gymn. Log. c. 7. pag. m. 129. seqq. hoc thema contra nostrates persecutus est.

Nos

XII.

Nos omissis argumentis, quæ Dd. Theologi pro communicatione Idiomatum afferre solent & possunt, eandem ex libro naturæ sequentibus fundamentis confirmamus.

XIII.

Primum desumitur à facultatibus animæ sensitivæ, quas utique corpori unito communicatas esse, sensus ipse testatur. Oculus enim usurpat potentiam videndi, auris audiendi, lingua gustandi &c. quod nemo negare audeat. Potentiæ autem istæ utique animæ & corporis proprietates sunt, quod Philosophorum Princeps *lib. 2. de anim. tex. 24.* docet, quando ait: *anima est id, quo vivimus & sentimus.*

XIV.

Ex positis jam ita inferimus: Quod usurpat potentias animæ, illi utique communicatæ sunt potentiæ animæ. Jam verò corpus, quod est subjectum realiter distinctum ab animâ, usurpat potentias animæ. Utique ergò corpori, quod est subjectum ab animâ realiter distinctum, communicatæ sunt potentiæ animæ.

XV.

Porro: Potentiæ animæ sunt communicatæ subjecto realiter distincto, sed tamen unito nempe corpori. E. quædam propria seu essentialia consequentia communicata sunt subjecto realiter distincto, sed tamen unito quod demonstrandum erat.

XVI.

Secundum fundamentum desumitur à calore ignis, quem ferro ignito communicari & sancti Patres unanimo docent consensu, & ipsa testatur experientia. Ferrum enim ignitum usurpat calorem, & hic per illud sese exerit, quod sensus ipse loquitur. At per communicationem nos hoc loco nihil intelligimus aliud, quàm usurpationem proprii alterius rei unitæ.

XVII.

Atq; ex hoc secundo argumentamur ita: Si ignis suum calorem communicat ferro sibi unito, ut igne mediante ferrum & possi-

U
& possideat & usurpet ipsum ignis calorem, sequitur dari communicationem, quam nos intendimus. Sed verum est prius. Ergo & posterius.

XVIII.

Neque est, ut excipiant, ignem communicare calorem ferro *κατ' ἀλλοπίωσιν*, hoc est, producere in ferro alium, eumque novum calorem, quod quidam eorum sequenti argumento probare conati sunt.

XIX.

Sic igitur concludunt: Calor ferri necessario requirit unionem ignis cum ferro. Calor ignis non necessario requirit unionem ignis cum ferro; ignis enim calidus est, etsi vel maxime cum ferro non sit unitus. E. calor ignis non est calor ferri, & per consequens sunt distincti calores, alius in igne, alius ab igne, in ferro productus.

XX.

Verum enim vero absque necessitate calor ille multiplicatur, cum sensus testetur, unum & non duplicem esse splendorem & calorem, quo ignis, qui per omnes poros ferri se insinuavit, & quo ferrum ipsum splendet, & calefacit. Nec negari potest, quod summus calor sit, qui in ferro deprehenditur. Summum autem calorem, ignis proprietatem esse ipsi adversarii concedunt.

XXI.

Argumentum autem ipsorum nihil probat. Est enim in forma vitiosum, quia major in secundâ figurâ complete universalis esse debet. Et eodem modo quo sequens discursus peccat.

Hæc manus est extensa.

Hic pugnus est extensus.

E. Hic pugnus non est hæc manus.

Scilicet sicut in hoc argumento major nec actu nec potestate est complete universalis; ita etiam in priori. Non actu. Nam singularis est, uti omnes concedunt. Nec potestate, quia etsi singularis sit, non tamen singulariter in eâ accipitur medium.

Non enim exinde potest fieri propositio universalis hunc in modum:

B

modum:

modum: *Quicquid est hæc manus est extensum*, quæ propositio est falsissima. Idem esto iudicium de discursu priori. Nempe quia major nec actu est universalis, nec etiam absque falsitate fieri potest universalis hoc modo: *Quicquid est calor ferri* (hoc est, quo ferrum calefacit & urit) *necessariò requirit unionem ignis cum ferro*: hinc Syllogismus uterque in secundâ figurâ vitiosus est, cum secundæ figuræ lex sit, ut major semper vel actu vel potestate universalis existat.

XII.

Sed & aliâ exceptione quidam utuntur. Keckermannus enim *l. c. pag. 140.* negat, quod in ipso ferro, quâ ferrum est, insit aut lux illa, aut etiam summus calor ignis. Ita enim se res habet, inquit, ut inter alios observavit acutissimus Scaliger, *Exerc. 12. Sect. 3.* quod sicut sponsia dicitur liquida, humida propter aquam, quæ in eius poros se undique insinuavit prædicatione extrinsecâ & impropriâ: ita etiam ferrum candens dicitur lucere, urere extrinsecâ & impropriâ prædicatione, cum tamen proprie luceat & urat ignis iste tenuis, qui in omnes ferri poros se insinuavit &c. *Et postea concludit*. Itaque hoc exemplum ferri candentis, in quo itidem se solent jactare heterodoxi, nihil pro illis facit, imò potius rectissimè contra illos usurpatur. *Hæc tenus Keckermannus.*

XIII.

Hæc ipsa tamen tanti ponderis non sunt, ut propterea nos recto veritatis tramite abduci patiamur. Nam 1. ambigüè dicitur, in ferro quâ ferrum est, inesse lucem aut summum calorem ignis. Vel enim reduplicativè intelligitur hoc sensu: quasi lux aut summus calor ignis ferro insit, quia ferrum est. Et sic larvas suas efficitas impugnat adversarius: vel specificativè, quod lux aut calor summus ferro propriè dicto & secundum naturam ferri insit, non quidem tanquam subjecto proprio, sed mediante igne, & sic sanè verissimum dogma est, quod adversarius negare non audebit, nisi simul negare velit, ignem ferro intimè inesse, quod tamen modò nobis largiter concessit. 2. Spongiam liquidam & humidam dici propter aquam.

aquam, quæ in ejus poros se undiq; insinuavit, verum est, sed addo: quod humida & liquida dicatur, non propter liquorem aut humiditatem absentem, aut extrinsecam prorsus, sed propter easdem præsentem & ipsi spongiæ mediante aquâ intimè unitas. Idem judicium de summo calore ignis ferri debet. 3. Spongiam prædicatione extrinsecâ & impropriâ liquidam & humidam, ferrum autem candens eodem modo lucere & urere dici, nec Scaliger *l.c.* asserit, nec sana Philosophia admittit. Argumentor enim ita:

Quod verè liquefacit & humectat liquore & humiditate inexistente, illud verè & propriè dicitur liquidum & humidum.

At Spongia aquosa ita se habet. E.

Major est extra controversiam. Minorem probo. Quod enim liquefaciat & humectet, testatur sensus, quod eadem faciat liquore & humiditate inexistente patet, quia aqua se in poros spongiæ undiquè insinuavit, ut ipse adversarius concedit. De ferro idem esto judicium. Nam omne candens propriè lucet. At ferrum est candens. E. ferrum propriè lucet. Item: Quodcunque propriè urit illud etiam rectè propriè dicitur urere. At ferrum propriè urit, quod testantur stigmata facinerosis & alijs rebus iniusta. E. etiam propriè dicitur urere.

XXIV.

Nec obstat, quod propriè ignis dicatur lucere & urere. Nam subordinata non pugnant. Utrique propriè hæc conveniunt, igni scilicet & ferro. Illi quidem ex se & suâ naturâ, huic autem κατ' ἐξω, hoc est, per ignem intimè unitum & præsentem.

XXV.

Imò tantum abest, ut hæc omnia nobis repugnent, ut potius exemplum de aquâ mirificè nostram sententiam confirmet. Ita enim contra adversarium concludo. Si humiditas aquæ communicatur spongiæ ad communem possessionem.



& usurpationem, sequitur quod detur Proprij communicatio. Jam verum est prius ex modò dictis. E. & posterius.

XXVI.

Ceterum jam argumenta opposita solvenda sunt. Primò igitur objicit Keckerm. loc. cit. pag. 131. *Quorum essentia & definitio non est communis, illorum propria non sunt communia. At subjectorum realiter diversorum essentia & definitio non est communis. E. propria non sunt eadem.* Sed quem impugnat hoc argumento? Nos sanè nullo modo. Neque enim per somnium cuiquam nostratum in mentem venisse credo, ut diceret subjectorum realiter diversorum propria esse communia, cum omnes fateantur, eadem manere suorum subjectorum propria, alij verò unito saltem ad communem possessionem & usurpationem mediante subjecto communicari. Sic v. g. nemo nostratum unquam docuit, quod calor ignis proprium ferri fiat, sed omnes disputarunt haecenus unanimo consensu, quod calor proprium ignis maneat, ferro autem propter ignem inexistentem ad communem usurpationem & possessionem tribuatur. Sic ergò cæcis ictibus pugnat & aërem verberat, neminem vero lædit aut expugnat.

XXVII.

Secundò ibidem objicit: *Omne oppositum & diversum includit in se oppositi diversi negationem. At commune esse & proprium esse sunt opposita diversa. E. proprium in se includit communis negationem.* Sed Resp. Est ambiguitas in voce communis. Vel enim cōmune dicitur, quod quovis modo cōpetit plurib; vel quod pluribus ex æquo convenit, ita ut non alteri primariò, alteri verò secundariò attribuatur. Et in hoc posteriori sensu accipitur, quum proprio opponitur. Sic v. g. facultas sensitiva convenit homini, leoni & equo, ut attributum commune. Si jam adversarij accipiat in sensu priori, negamus minorem, quod proprium & commune hoc sensu sint opposita: Si posteriori; concedimus totum argumentum. Neque enim statuimus, propria eo sensu esse communia, ut pluribus tanquam subjectis inhesionis æquè conveniant, sed sub subjecto primario

primario & ex se, alteri autem secundario & mediante suo
subjecto competant.

XXVIII.

Tertiò Keckerm. p. 132. contra Nostrates ita insurgit:
*Quod tollit discrimen inter accidens, proprium & commune, id
absurdè statuitur. At communicatio priorum tollit hoc di-
scrimen. Ergò. Sed Resp. negando minorem.* Nam pro-
prium distinguitur ab accidente communi in eo, quòd illud
uni soli tanquam primo subjecto inhaesionis conveniat; hoc
verò pluribus subjectis æquè competat, ut albedo ratione pa-
rietis & aliorum corporum. Nunc autem hoc discrimen per
priorum communicationem minimè tollitur. Neque
enim statuimus, quod summus calor v. g. conveniat ferro tan-
quam subjecto inhaesionis primò, sed ipsi asserimus, ignem &
esse & manere subjectum primum & proprium ipsius caloris
summi, ferro autem, ad communem possessionem & usurpa-
tionem mediante igne ipsi intimè unito communicari.

XXIX.

Deniq; ibidem contra nos concludere conatur. *Propria sunt
causa distinctionum. Ergò non sunt communia diversis subjectis*
Sed quid de hoc iudicandum sit ex dictis facilè liquet. Jam
hoc saltem addimus, etiam nos ipsos, qui communicationem
defendimus, ambabus, quod dicitur, manibus largiri, propria
esse causas distinctionum à posteriori. Nec distinctio illa
per nostram sententiam tollitur. Quamvis enim utrumque,
hoc est, ignem & ferrum calidum statuamus, illi tamen calo-
rem summum per se & primò tanquam subjecto inhaesionis
proprio, huic *κατ' αὐτό* & mediante igne tanquam subjecto
denominationis adscribimus, unde quilibet discrimen inter i-
gnem & ferrum videre potest.

XXX.

Atque hi sunt arietes, quibus Keckermannus ex ratione nos
expugnare voluit. Nunc aliorum argumenta audiamus.

XXXI.

Porro igitur alij ita concludere solent: *Dici de aliquo re-*

B. 3

quiri.

81
quirit inesse. Ergo propria de pluribus dici possunt, sequetur etiam propria pluribus inesse posse, quod absurdum est. Verum & huic facile occurrimus. Nam quando Dd. Logici affirmant, quod dici de aliquo inesse requirat, per se inesse non intelligunt inhaerentiam, quasi omne id, quod de aliquo praedicatur, eidem tanquam subjecto inhaerere debeat; hoc enim falsissimum esse facile apparet; Sic v. g. verè dico: *Pavies videtur, sonus auditur, Deus colitur*, neq; tamen praedicata haec suis subjectis, quibus tribuuntur, inhaerent: sed sensus regulæ est. *Quod de aliquo dicitur seu affirmatur, eidem non repugnare, sed convenire debet.* Quid jam hoc contra nos? Proprium quidem uni soli inhaeret, tanquam subjecto inhaerentis primo, alteri tamen tanquam subjecto denominationis mediante subjecto proprio ipsi intimè unito convenire potest, quod antea planum fecimus.

XXXII.

Sed nondum finem faciunt: Alij enim ita contra nos insurgunt: *Quod uni soli convenit, non potest convenire pluribus. At proprium uni soli convenit, teste Porphyrio in Isag. c. d. E. non potest convenire pluribus.* Verùm Resp. limitando majorem ita: *Quodcunque uni soli convenit, non potest convenire pluribus, eo scil. modo, quo uni soli convenit.* At proprium uni soli convenit. E. eo modo, quo uni soli convenit non convenit pluribus. Et sic concedimus totum argumentum. Neque enim aliquid contra non concludit, quum non dicamus proprium aequè pluribus convenire, sed ipsi affirmemus, quod uni soli per se & ex se conveniat, alteri autem non nisi *ἀπὸ τῆς οὐσίας* & κατ' ἀλλοτρίαν tribuatur.

XXXIII.

Atque haec sunt primaria argumenta, quibus adversarij contra nos pugnare solent. Caetera disceptationi publicæ reservamus, & exercitii gratiâ sequentes subjicimus controversias.

I.

An κατὰ βίαν significet dominium violentum & tyrannicum Negat: cont: Bellarm.

An

An particula Multi semper sit signum particulare, idque tale ex quo universalis negatio inferri potest? Neg. utrumque contra Calv.

3.
An propria salvâ manente essentiâ possint separari? Resp. Disting.

4.
An bonorum aequalitas in Rempubl. introducenda? Neg. cont: Anab.

5.
An causa per accidens sit causa propriè dicta? Affirm. si terminus propriè sumatur.

SOLI DEO GLORIA



Ad

Præstantiss. Dn. Respondentem.

Milena quod propriis fiat Communio, certant,
Quas Muse Hackmanni progenuere, theses.
Hoc gaudent Muse, quaq, alti culmina Pindi
Surgunt, Hackmanno, vive, vigesce canunt.

scrib.

Præses.

Ad

Ad

Præstantissimum

Dn. JACOB. HACKMANNUM

Amicum perdilectum.

OMnibus rebus DOMINUS creatis
Addidit quoddam *Proprium*, ex medullis

Defluens ipsis: dedit id quod inde
accidit illis.

Pluribus rebus datur *Esse tantum*;

Inde permultis datur & *moveri*:

Sensibus gaudent alia: sed *usu*
hæ rationis.

Quælibet spartam propriam tuetur

Coeterum molli brachio, relinquit

Debiles vires animis ad altum

tendere Jussis.

Doctus *Hackmannus Proprij* recensens

Sobrium sensum, proprium vigentem,

Spiritum monstrat, proprio suoque

munere functus.

Hinc caput tollit veluti Cupressus,

Respuens terræ genium malignum,

Dia dum tractat, ferit altiori

vertice stellas.

M. Hermannus à Petkum
Hamburgensis.

DS A 1087

ULB Halle

3


003 765 342



1017







Disputatio Metaphysica
De Communica-
tione Proprii.

Quam

*Divinâ assistente gratiâ
In Academiâ VVittebergensi*

PRÆSIDE

Viro Clarissimo, Dn.

M. MARTINO CASELIO

Facult. Phil. Adjuncto,

JACOBUS HACKMAN Otterndor-
fio-Hadelensis.

In Auditorio Collegii Veteris

Die 4. Mart. horis à 7. matutinis.

publico examini subijciat.

VVITTEBERGÆ,

Typis Ambrosij Rothi Acad. Typogr.

Anno M. DCXXVII.